



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Statuta prouincialia et synodalia ecclesie Colonie[n]sis (Köln)

Colonie, 29. IX. 1492

De vna missa in die celebranda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30901

damus et precipimus omnibus et singulis montalibus presentibus et futuris cuiuscumque sint religionis vel ordinis nre civitatis et dioecesis ut in suis monasteriis de cetero sub clausura perpetua permanant iuxta canonicas sanctiones ita quod nulli eorum religionem tacite vel expresse professi a suo monasterio exire liceat nisi forte tali morbo evidenter eorum aliquam laborare constaret quod non possit seruire deo cui corda sua et corpora omnia sanctimonialia subdiderunt. Salvo quod abbatissa et priorissa seu infra per quas monasteria eadem reguntur cum honesta et decente societate exire poterit dum hoc pro monasterii sui negociis fuerit faciendum ad monasterium suum absque honoris dispendio quod primum poterit reuersura. Alioquin moniales huiusmodi extra monasterium suum vagantes et quod diu in hoc persistunt. Inhibemus penitus admitti ad diuina nisi ex rationabili et manifesta causa ac de illius ad quem pertinuerit exuerunt licentia speciali et de hoc diuina celebrantibus ac eas hospitantibus prius sufficiens fides fiat, alias scilicet eis presentibus diuina celebrare presumens suspensionis ab ingressu ecclesie et eas sic diuagantes hospitio recipiens excommunicationis sententiam incidant ipso facto. Illas vero moniales que habitu religionis sue dimisso extra monasteria sua diuagantur et que ex hoc sententiam excommunicationis a canone iam prolata incidunt ipso facto excommunicatas volumus et precipimus nunciari. Inhibentes sub pena excommunicationis ne quis eis tanquam apostatis et excommunicatis comunicet quoquo modo vel foueat easdem in tali apostasia scienter ne tanquam criminosis in crimine consentiens consimili laqueo valeat irretiri. Insuper mandamus et precipimus imo inhibemus ne aliquis de cetero ecclesie collegiate canonicus vel religiosus ad monasterium sui titulum ordinandus quarum

ecclesiarum et monasteriorum exemptorum et non exemptorum canonicus vel monachus et fratres sine examinatione litterature et intitulatione ordinari consueuerunt ad ordines admittantur nisi prius de erate et corporis idoneitate cum corpore viciati non sint ad ordines huiusmodi admittendi per examinatores ad examen ordinarium tempore celebrationis ordinum deputatos vel deputandos sint examinati et intitulati, sicut ceteri sub communi titulo ordinandi, alias admittentes et ordinantes eosdem et ordines sic prohibiti recipientes quos et nunc ne contra faciant monemus in his scriptis post lapsum duorum mensuum et publicationem presentium mandatorum suspensionem ab ingressu ecclesie sententiam incurram ipso facto et hoc in sacra nostra synodo prioribus clero et christifidelium multitudine presentibus publicari mandauimus et ab omnibus precepimus seruari, ne quis contra ipsa crassa se valeat ignorantia excusare. Preceptores vniuersis capellis conuentibus mendicantium et non mendicantium christianitatum decanis et locorum plebanis ut infra decem dies post harum publicationem. Sub sigillo maioris officialis curie nostre Coloniensis horum copiam recipient et singulis mensibus prima dominica die mensis in sermonibus suis. Plebanus hora missae et mendicantes in eorum predicationibus materna lingua in vulgari et intelligibiliter publice et exponat. In horum testimonium presentes litteras appensione sigilli nostri fecimus comuniri. Datum anno domini. Millesimo trecentesimo vicesimo septimo crastino beati Remigij. In cuius copie testimonium sigillum officialitatis curie nostre presentibus litteris duximus appendendum.

De vna missa in die celebranda.

R. iij.